

RITUS BENEDICENDI.

ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ECCLESIA AEDIFICANDA,
SERVANDUS A SACERDOTE FACULTATEM HABENTE AB EPISCOPO.

TITULUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Haec est prima Benedictio. in qua fiat mentio substitutionis.
- 2 Ecclesiarum erectio spectat ad Episcopum.
- 3 Ecclesia erigi non potest, sine Episcopi licentia.
- 4 Episcopus licentiam tenere non debet, nisi rationabiliter.
- 5 Lapidis primi impositus est de iure Episcopi.
- 6 Est actus Jurisdictionis, atque ideo committi potest.
- 7 Facultas potest tradi ab Episcopo simplici Sacerdoti.
- 8 Facultas haec debet esse expressa.
- 9 Super ea facultate Instrumentum debet confici.
- 10 Formula delegationis.
- 11 Formula Instrumenti positionis primi lapidis.
- 12 Ista actio non potest impugnari, si adsit Instrumentum.
- 13 Functio haec debet innotescere habitantibus in illo loco.
- 14 Crucis plantandae magnitudo.
- 15 Crux debet esse lignea.
- 16 Crux Christi fons omnium Benedictionum.
- 17 Crux erigenda in loco eodem, in quo fabricari debet Altare majus.
- 18 Altare unicum erat in antiquis Ecclesiis.
- 19 Quinam figere debeat Crucem?
- 20 Sacerdos quilibet potest Crucem hanc plantare.
- 21 Dies statuta foundationi primi lapidis.
- 22 Fieri hoc potest etiam die festo.
- 23 Benedictio haec fieri debet mane.
- 24 Lapis iste potest esse ex marmore, vel ex latere.
- 25 Convenientius est, ut sit lateritius.
- 26 Tophaceum saxum potest facile signari.
- 27 Lapis debet esse quadratus.
- 28 Lapis debet esse manualis, et facilis pertractationis.
- 29 Mytheria hujus Quadraturae.
- 30 Lapis iste debet esse angularis.
- 31 Mytheria, et rationes hujus formae.
- 32 Lapis ponendus est in angulo superiori.
- 33 Quare dicatur Lapis angularis?
- 34 Praeparatio rerum anticipanda est rationabiliter.

- 35 Paramenta pro hac functione Alba esse debent.
- 36 Pluviale quare adhibeatur in hoc casu.
- 37 Ministri necessarii pro hac functione.
- 38 Aqua lustralis consueta adhibetur.
- 39 Mensura loci benedicendi.
- 40 Herba hyssopus an adhibenda pro hac Benedictio?
- 41 Psalmus 53. quare in hoc loco recitandus assignetur?
- 42 Quare Sacerdos se convertat ad locum Altaris?
- 43 Nomen Dei, ei Beatae Mariae Virginis nunquam reticetur.
- 44 Templum primo dedicantur Deo.
- 45 Secundario dedicantur Sanctis.
- 46 Sancti, quibus dedicatur nova Ecclesia, nominari debent.
- 47 Abusus illorum, qui Sanctis dedicant Tempora.
- 48 Dulciae Cultus convenit Sanctis.
- 49 Tituli Ecclesiarum quomodo inscribi debent.
- 50 Testimonium majoris Basilicae S. Petri in Urbe.
- 51 Tempora sine expressa dedicatione antiquitus erigebantur.
- 52 Benedictio Lapidis quando initium habeat?
- 53 Lapis benedicendus debet esse paratus in loco convenienti.
- 54 Quare lapis aspergatur Aqua Benedicta?
- 55 Quare conveniat, ut lapis sit lateritius?
- 56 Signari debet cultri acumine.
- 57 Culter qualis esse debeat?
- 58 Signo leviter sculpi debent in lapide.
- 59 Signa jam praeventive sculpta esse debent.
- 60 Cruces quot sculpendae sint in lapide?
- 61 Praxis est contraria Ritui.
- 62 Singulae sex partes signandae sunt.
- 63 Forma primarii Lapidis.
- 64 Testimonium hujus formae ex antiquo lapide Ecclesia Bergantini.
- 65 Explicatio antiqui lapidis Bergantini.
- 66 Litterae quoque insculpi possunt in dicto lapide, et Nummi infigi.
- 67 Reliquiae item sepeliri possunt cum lapide.
- 68 Litaniae ordinariae quanam?
- 69 Cantare illas in hac Benedictio decentius est.
- 70 Preces consuetae post Litanias non dicuntur.
- 71 Caementum paratum esse debet.
- 72 Quare caementum adhibeatur?
- 73 Cruces licet obstruantur, mysterium non destruitur.
- 74 Caementarius assistere debet Sacerdoti.
- 75 Antiphona pro hac benedictione unde desumpta?
- 76 Psalmi 126. significatio.
- 77 Stare est signum auctoritatis.
- 78 Tangere debet Sacerdos lapidem, non portare.
- 79 Ceterum cum Aqua ad lavandas manus, paratus esse debet.
- 80 Officium, et industria Coementarii in locando lapide.
- 81 Immediate post impositionem lapidis, locus fit Sacer, et immunis.
- 82 Fundamenta Ecclesiae debent saltem esse designata.
- 83 Fundamenta aspergenda sunt Aqua benedicta, et quare?
- 84 Psalmus 86. quid significet in hoc loco.
- 85 Circulus perfici debet in Benedictio fundamentorum.

Aedificandae Ecclesiae tota ratio explicatur in hoc Titulo; et quia ista Aedificatio ad finem Sacrum dirigitur, initium quoque Sacrum habere debet: propterea de primo lapide in illa ponendo, et benedicendo hic sermo habetur: assignaturque totum id, quod tum a Sacerdote, tum a Ministris, et adiutoribus

operari debet, ut rite, et recte omnia, quae ad hanc functionem spectant, perficiantur.

§. I. Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta Sacrorum Canonum decreta, aedificari fas est. Si vero Sacerdos ejus aedificationis primum lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

1 2 3 4 5 6 Haec est prima Benedictio, in qua expresse fiat mentio de facultate tradenda simplici Sacerdoti ab Episcopo, quia vere extra omnem controversiam est, Ecclesiarum foundationem, seu erectionem ad Episcopum unice spectare; *ex c. quicumque* 16. *q. 7. c. lator.* 16. *q. 6. c. nemo, de consecr. et c. auctoritatem, de privileg. in 6.* in quibus locis concluditur, novam Ecclesiam erigi non posse sine Episcopi licentia: Et hoc verum est, etiam si quis haberet privilegium Ecclesias aedificandi, quia intelligitur sine praejudicio juris Episcopi. Concurrentibus tamen causis rationabilibus, Episcopus licentiam denegare non debet, *Monacell. d. T. 1. tit. 6. form. 10. n. 3. 4.* Si igitur de juribus Episcopi est aedificatio Ecclesiarum, erit etiam de ejusdem juribus materialis constructio ipsius: et cum haec constructio fieri nequeat nisi per lapidum impositionem, istius lapidis impositio erit quoque de ejusdem Episcopi juribus, hac tamen animadversione, quod cum ista aedificatio non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis potest Sacerdoti etiam non Episcopo, et inferiori delegari, quandoquidem actus Ordinis nemini delegari possunt, qui Episcopi caractere non sit insignitus.

7 8 9 Facultas igitur benedicendi, et imponendi primum lapidem in aedificatione Ecclesiarum potest ab Episcopo tradi simplici Sacerdoti, quia iste est actus jurisdictionis; atque ideo inscribitur iste Ritus in hoc Rituali, quia functiones ibi descriptae, omnes, et singulae possunt a Sacerdotibus peragi, quamvis nonnullae sint de juribus Episcopalibus. Sed ista facultas debet esse expressa, non vera tacita, atque super ea debet Instrumentum positionis primi lapidis confici a Cancellario Episcopali, cujus Instrumenti radix, et fundamentum esse debet ista delegatio in scriptis ab Episcopo facta. Quapropter provide *Monacell. d. 3. Append. form. 4.* affert formulam ejusdem delegationis, quam hic transcribere minime piget, ut omnibus innotescat.

10 *N. N. Episcopus, etc.*

Dilectio, etc.

“Cum ad instantiam N. in loco N. nostrae Diaecesis, aedificari debeat nova Ecclesia sub invocatione S. N. Nos aliis gravioribus negotiis praepediti, illuc personaliter accedere non valentes, tibi facultatem committimus, et delehamus, ut vice, et auctoritate nostra, et servata forma in Pontificali et Rituali Romano praescripta, primum lapidem in fundamento ipsius Ecclesiae solemniter ponas. Volumus autem, ut praesentes, nostrae delegationis litterae, una cum actu publico peractae functionis in Archivio N. reponere, et ad nos authenticum exemplar transmittere debeas.”

Datum, etc.

N. Episcopus N.

Loc. ✕ Sigilli.

N. Cancellarius.

11 Formula vero Instrumenti positionis primi lapidis est hujusmodi.

In Dei Nomine. Amen.

N. N. Presbyter ab Illustriss. et Reverendiss. seu, etc. N. Episc. N. delegatus.

“Existens in loco N. vocabulo N, in quo N. intendit novam Ecclesiam sub invocatione S. N. aedificare, ubi Crux lignea erecta conspiciebatur, indutus Amict, Alba, Stola, et Pluviali alvi coloris, exorcizata cum Sale Aqua, lapidem primum benedictum, in fundamento ipsius Ecclesiae, servata forma in Rituale Romano praescripta, populo adstante, solemniter posuit, et mandavit mihi Notario infrascripto, ut de praedictis publicum instrumentum conficerem, prout rogatus feci. Praesentibus discretis Viris N. N. Testibus.

Actum, etc.

Loc. ✕ Sigilli.

Ita est N. Notarius, etc.

12 Haec sunt quae convalidant actum, legitimamque reddunt tam benedictionem, quam impositionem primi lapidis, adeo ut nequeat impugnari.

§. II. Pridie quam primarius lapis benedicatur, Ligneam Crucem, in loco ubi debet esse Altare figat ipse, vel alius Sacerdos.

13 Anticipatio haec fit, ut habitantibus, et praetereuntibus innotescat destinatio hujus loci Sacri, et saltem aliquo obsequio veneretur, nec ita violenter fiat, et immediate iste transitus de loco profano ad Sacrum. Preces enim Fidelium anticipatae, magis divinam voluntatem praeparant, et movent, ad coelestem Benedictionem impertiendam. Item per Crucem ibi plantatam anticipatur expulsio, vel compressio Daemonum, ne amplius in praedicto loco vim habeant nocendi: atque ita fit, ut quando Sacerdos accedit postridie ad peragendam functionem, locus no indigeat exorcismis, neque nova expiatione.

14 Assignatur materia hic, non vero magnitudo hujus Crucis: ideo arbitrariae mensurae esse potest, dummodo talis sit, ut emineat, et valeat in competenti distantia conspici etiam ab illis, qui extra locum benedicendum adstent.

15 16 17 Lignea esse debet, ut facile a Sacerdote plantari valeat, non vero tam gravis, ut illi sit magni incommodi: Fitque etiam ad imitationem Dominicae Crucis, quae vere lignea fuit, et fons omnium Benedictionum, Quart, *d. nu.* 193. unde cum locus iste benedici debeat, ab ea principium de sumendum est.

18 Quando Textus dicit, debere Crucem plantari *ubi debet esse Altare*; intelligitur de Majori Altari, quia vere antiquitus non nisi unum Altare erigebatur etiam in Basilicis. ad significandam Unitatem Sacrificii, et Christi; ut ex S. Ignatio Martyre, *Epist. ad Philadelph.* quapropter appellatur ab Eusebio: *Unigenitum Altare*, 10. *Hist. Eccl.* Et cum haec vox *Altare*, quasi ab *Alia Ara* proveniat. Maeri *Hierobex.* ideo de altiore Altari, quod solet esse majus, debet intelligi, non vero de minoribus.

19 20 Hanc Crucem debet figere, vel ipse benedicens, vel alius Sacerdos. Castald. in *Prax. l. 2. sect. 11. cap. 5. n. 1.* aliter faciendum praescribit; nam vult, quod ipse qui benedicturus est lapidem, figat Crucem; et insuper ipse, vel alius Sacerdos praeparet etiam Lapidem quadratum, et angularem, qui in fundamento plantari debeat. Sed attendenda magis est praescriptio nostri Textus: dum enim dicit, quod vel ipse, vel alius Sacerdos, figat Crucem, videtur ut liberum locum relinquat. Laudabilis credo tamen esse posse, si hoc fiat ab alio Sacerdote; nam qui benedicturus est lapidem, cum vices gerat pontificales, conveniens est, ut in loco non appareat nisi ad ta-

lem Benedictionem, et impositionem pontificaliter faciendam, eo magis quia non praescribitur a Rubrica, an Sacerdos in actu istius plantationis debeat Sacris Vestibus esse indutus. Quapropter, cum tam infixio Crucis, quam praeparatio lapidis aliquid servile habeat in se, opinor quod potius Sacerdoti pertineat, quam delegato, quia iste Pontificis vices sustinet, ille Ministri.

§. III. Sequenti vero die, lapis in Ecclesiae fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

21 Haec dies debet esse immediata, ac subsequens illi, in qua fixa fuit Crux, nisi aliud obstet, et sine magno incommodo fieri possit: puta si pluvia, vel nix, vel aliud impediret facilem accessum ad locum designatum.

22 Nec refert si sit festibus; imo cum haec actio sit Sacra, congruum magis videtur, quod sit talis dies, ut cum solemnitate concordet: opus enim hoc, quod per coemeterium fit, non dicitur servile, cum in Dei honorem fiat, ex Tamburino in *Decalog. l. 4. c. 3. §. 2. n. 3.* ubi *de Dei cultu.*

23 An vero in mane facienda sit Benedictio haec, vel post Vesperas, Rubrica omnino negligit dicere: quare pro libito erit Sacerdotis Benedictentis hoc facere vel uno, vel alio tempore. Congruenter tamen videtur, quod in mane fieri debeat ante Missae celebrationem, et priusquam Sacerdos, et Ministri, rebus saeculi immisceantur.

24 25 26 Modo de Lapide. Primo Lapis iste e saxo vivo potest esse, et ex latere, cum nihil circa hoc Textus noster praescribat. Verum videtur magis conveniens materia lateritia, si consideremus, quot per manus Sacerdotis cultrum tenentis, dedet in eo sculpi signum Crucis per singulas ipsius partes ut infra demonstrabitur ex praecepto Rubricae: non enim ita facile sculpi quidquam potest in vivo saxo, nisi sit tophaceum, quod facile a quocumque ferro, signari, ac insidi potest.

27 Quadratus insuper debet esse iste lapis, nempe ut habeat quatuor latera recta aequalia, et totidem angulos rectos, ut facile collocari possit in loco designato, et firmiter jaceat sine adjumento alterius lapidis, vel saxorum minorum.

28 29 Ulterius talis decet ut sit, qui facile pertractetur, et in quacumque ejus parte sculpi possit sigum Crucis, ut diximus; si enim esset informis, nec figuram quadratam praeseferret, nullo latere sculpi posset. In quadro etiam positam Civitatem Dei Joannes asserit, *Apoc. 21.* Jerusalem quoque eodem

pacto, et in quadrata figura, aedificata, et innovata fuit per Jonatham, 1 *Machab.* 10. ex quibus mystice, et moraliter deduci post mysterium nostri lapidis quadrati.

30 31 Angularis quoque praecipitur, ut sit iste lapis. Haec vox Synonima est, et aequivalet *Quadratae*: sed multis de causis hoc titulo appellatur lapis noster in hac caeremonia: Christus enim tali nomine pluries appellatur in Divinis Scripturis, rationibus, et causis ab interpretibus explicatis, quarum mentio habetur in Orationibus pro hac Benedictione adhibitis.

32 Rursus dicitur Angularis non tantum quia per latera sua quadrata faciat quatuor angulos, sed quia ponitur in angulo superiori Ecclesiae aedificandae; et faciens caput anguli, jungit utrumque angulum, quemadmodum de Christo Redemptore canit Ecclesia in Hymno dedicationis.

*Summi Parentis filius.
Domus supernae, et infimae.
Utrumque junxit angulum.*

Hic ergo lapis, notat Clar. in Act. 4. utrumque Parietem conjunxit et Judaeorum, et Gentium in unam Fidei conspersionem; unde de Christo dicitur, Act. 4. quod factus sit caput Anguli. Quae omnia latius explicavi anno 1724. in sexagesima quarta mearum Lectionum super Act. Apost. habitatum in Ecclesia Cathedrali Ferrariae.

33 Itaque lapis iste imponendus in Ecclesia, et pro Ecclesia aedificanda, dicitur angularis eo potissimum, quia a duobus angulis inspicitur debet, et facit caput anguli Ecclesiae aedificandae.

§. IV. Sacerdos indutus Amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquod Sacerdotibus, et Clericis, Salem, et Aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra, et interim dum cantatur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, cum aqua benedicta.

34 Castaldus in *Prax. lib. 2. sect. 11. c. 5. n. 2.* provide anticipat praeparationem rerum necessario adhibendarum in hac Benedictione, dum dicit: *In die, quo lapis est benedicendus, paretur loco congruo mensa cum Sacerdotalibus indumentis*

albi coloris, videlicet Amictu, etc. quibus indutus, adstantibus Sacerdotibus, et Clericis, superpelliceo indutis, benedicit Aquam, etc.

35 Indumenta haec sunt albi coloris, ea potissimum ratione a Gavanto adducta in *Dedicatione Ecclesiae*, juxta illud: *Anicti sunt stolis albis Apoc. 7.* in Dedicatione Coelestis Jerusalem.

36 Adhibetur in hac functione Pluviale, quia iste est habitus viatorius, et Benedictio haec fit sub die, quamvis Processio non fiat.

37 Ministri vero necessarii pro peragenda hac Benedictione plures sunt, sed saltem unus Sacerdos de necessitate est, si Crucem debet figere in loco designati Altaris, ut diximus in §. 2. *hujus Tituli.* Omnes isti Ministri actionem hanc magis solemnem faciunt, ideo necessarii videntur, saltem ut cum Sacerdote benedicente psallant.

38 39 40 De Aqua benedicta satis diximus suo loco: hic nihil subdo, nisi quod nulla particularis Benedictio statuta est ab Ecclesia pro hac Aqua, sed communis, et consueta, qua aspergi debet locus Crucis, nempe locus designatus pro construendo Altari, ubi Crux fixa fuit. Mensura igitur hujus locis transcendere non debet mensuram Altaris construendi una cum suis gradibus. Pro ista aspersione aliqui utuntur aspersorio, seu fasciculo ex herba hyssopo viridi compacto, ut demonstrat Pontificale Romanum in suis Tabulis, sed Rubrica nostra hoc non docet.

41 Psalmus: *Quam dilecta Tabernacula, etc.* praescriptus et assignatus, ut hoc tempore cantetur, est 83. in ordine Psalterii Davidici; atque in eo mentio fit *Tabernaculi, Atrii, Domus Dei, Nidi Altaris.* et aliarum rerum, quae cum Templo Deo dicato concordant.

§. V. Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit: *Oremus, etc.*

42 Scilicet ad locum Altaris construendi, ubi Crux fixa est. Sed quaeri potest cur Sacerdos ad hunc locum Altaris construendi se convertat, si tota Ecclesia benedicenda est? Resp. cum *Quart. tit. 2. dub. 2. nu 158.* Ecclesias praecipue dedicari in ordine ad Sacrificium, Sacrificium autem est peragendum ad Altare, ergo ad Altare principaliter respicere debet; implorando gratiam Divinam.

§. VI. Nominando Sanctum; vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundatur Ecclesia.

43 44 45 46 47 48 49 50 Nomen Dei, et B. Mariae Virginis nunquam reticetur, quia primario Tempora dicantur Deo, et pertinent ad cultum Latria: Secundario vero dicantur Sanctis ab Ecclesia approbatis, qui expresse nominari debent in actu Benedictionis, utpote quibus nuncupantur secundario, et minus principaliter. Hinc eliminandus venit abusus illorum, qui in fronte Ecclesiarum Titulum, et epigraphem imponunt hujusmodi, et quidem litteris cubitalibus; e.g. DEO. DIVOQUE N, titulari Sancto, ut videre est in nonnullis Civitatibus. Qui error in hoc consistit; quod non potest dici Ecclesiam ullam esse dicatam Sancto particulari, sed soli Deo, in honorem Sanctorum: Et sub hoc respectu, quatenus dedicatio refertur indirecte ad Sanctos, continet cultum Duliae, quo Sanctos, et Dei Amicos veneramur. Tituliigitur Ecclesiarum hoc pacto inscribi deberent juxta sanioem doctrinam: DEO. IN HONOREM: SANCTI. N. de quo testimonium habemus in majori Basilica S. Petri de Urbe, cujus Frons ita sonat: IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLORUM; ut fusius demonstravi in meo *Commentario Historico de Antonio Musa Brasavolo*, §. 1. pag. 62.

51 Sine dedicatione quoque, saltem expressa, ab antiquis aedificabantur Ecclesiae, ut videre est in antiquo Marmore apud me existente his litteris inciso, una cum tribus manibus apertis pro stemmate illorum de Maynardis, Ecclesiae illius fundatorum, quae modo demolita est, extabatque in Pomoerio Arcis Ferrariae; ubi talis inscriptio fuit effossa. ✠. M. CCLXXVIII. FACTA EST HAEC ECCLESIA PRO AMIMA D. OTOLINI DE MAYNARDIS ✠

§. VII. Postea stans benedicit primarium lapidem dicens: *Adjutorium nostrum, etc.*

52 53 Hic vero incipit Benedictio Lapidis, nam quae antecedunt, sunt praeparatoria ad hoc. Ubi advertendum, quod lapis iste debet esse paratus in loco convenienti supra Mensam ad id electam, ut commode fieri possit Benedictio, et alia quae praescribuntur facienda a Sacerdote stante in signum auctoritatum, seu imperatum, Barbos. *de dict. verbo stare.*

§. VIII. Tunc aspergit lapidem ipsum Aqua Benedicta et accepto cultro per singulas partes sculpsit in eo signum Crucis Dicens: *In nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti † Amen.*


54 Aspersio ista fit, ut abjiciatur omnis diabolica insidia, si adsit, ut alias notavimus in aliarum. rerum aspersioibus antecedenter.

55 56 57 58 59 Atque hic evidenter patet, quomodo conveniat, hunc Lapidem esse potius lateritium, quam marmoreum; nam cultri acumine debet signari. Iste culter debet esse acutus, sed levis, et manualis, non autem mensarius, neque pli-catilis, et si fieri possit, cum manubrio argenteo, vel saltem eburneo; ob dignitatem ministerii. Nec Sacerdos debet illo violenter uti, tanquam si malleo percuteret; nam sufficit, ut signa leviter in lapide appareant sculpta. Verum cum ista signa leviter sculpta cito deperdantur, et oblitterentur, fieri solet, ut per omnia Saecula ibi fixa remaneant, quod jam per scalprum lapicidae praeventive sculpta sint formiter suis locis, itaut Episcopus, vel Sacerdos benedicens nihil aliud praestet, nisi servilem manuductionem cultri per signa, et Cruces jam sculptas, praesertim si lapis sit ex marmore.

60 61 62 Quot vero Cruces sculpendae sint in isto Lapide, varia est opinio. In praxi unicam tantum vidi in prima fronte lapidis signatam tunc cum novae Fabricae, seu raedificationis Ecclesiae Cathedralis Ferrariae primum imposuit Lapidem Cardinalis de Verne semper recolendae memoriae. Verum Rubrica nostra aliter docet, et haec omnino servanda est, quamvis in contrarium praxis suadeat; est enim corruptela, et abusus omnino a Magistris Sacrarum Caeremoniarum non tollerandus. Verba itaque Textus nostri sunt: *Accepto cultro, per singulas partes sculpsit in eo signum Crucis, etc.* Singulae ergo partes hujus lapidis designantur, et hujusmodi partes, meo videri, non duae sunt, sed sex, nempe, pars anterior, pars posterior: latus dextrum; latus sinistrum, caput superius, et caput inferius, cum Lapis sit quadratus; et quatuor latera habeat aequalia praeter anteriorem, et posteriorem partem. Quando igitur Textus dicit: *Per singulas partes*, saltem, et ad ultimum intelligit de parte non una, sed bina, nempe anteriori, et posteriori: attamen ly *singulas* auget numerum harum partium si enim essent duae tantum partes, diceret. *per ambas partes*, vel, *partem superiorem, et inferiorem*: prout habemus in Ritu *Benedicendi novam Ecclesiam*; de quo infra: ubi: *Interim spergit interius parietes in parte superiori, et inferiori.* Cum itaque aliae partes adsint in illo Lapide et singulae sint bene-

dicendae, ista dictio *singulas* tribuit cuilibet parti actum similem, et importat divisionem, et disjunctionem, per allegat. a Surd. *decis.* 278. n. 5. et post alios enunciatis a Barbosa in *dict. usu frequent.* 372. Bertazzol. *de Clausul. Instr. Cl.* 4. *glos.* 3. *sub. num.* 11.

63 His positis dico, Lapidem primum quadratum, et angularum hujus hic descriptae formae debere esse:



64
65
66
67

Atque in eo sculpi debere Crucem in quacumque sui parte, seu in quocumque latere, usque ad sanarium numerum.

§. IX. Postea dicantur Litaniae ordinariae sine Orationibus in fine positae: quibus dictis, parato caemento, et Caementario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam, *Mane surgens, etc.*

68 69 Litaniae ordinariae sunt Litaniae Sanctorum, quae majores etiam nuncupantur, Quart. *de Litan.* n. 223. 224. Decentius est isto loco, ut cantentur in consueto tono, non autem simpliciter recitentur. Celebritas enim diei indiget, ut solemniter omnia fiant, atque expleantur omni debita veneratione: ideoque genibus flexis cantari debent, quia sunt Preces:

70 Non dicuntur Orationes, et Preces consuetae, quae ponuntur in fine Litaniarum Majorum, eo quia in hoc loco invocatur auxilium Dei, et sanctorum ad illius loci Sacri custodiam tantum non vero ad opem implorandam pro Principibus, aut pro Animarum salute, et ideo sufficit, ut invocentur tantummodo Sanctorum Nomina.

71 72 73 Caementum debet esse jam paratum, ne immeretur inutiliter Sacerdos in peragenda Sacra functione, sed celeriter se expediat: verba enim ista concepta per habitivum ab-

solutum: *Caementario assistente.* involvunt conditionem, et formam necessario implendam, ut in causa Matrimonii affert Ursaya, *T. 4. p. 2. disc.* 19 *num.* 21. Usus Caementi est, ut Lapis firmiter sistat, ut et superimponendis Lapidibus continentur, nec refert si Cruces in Lapide sculptae Caemento intur, atque obstruantur, quia Mysterium non obliteratur, et hoc non obstante, perdurant illa signa, quamvis amplius sub oculorum sensu non cadant.

74 Assistere insuper debet Sacerdoti Caementarius, et patientiam praestare, ut Lapis recte, adamussim, et ad libellam-juxta artis architectonicae praecepta collocetur: hoc enim praestare non valet Sacerdos illius artis ignarus.

75 Antiphona: *Mane surgens Jacob etc.* desumpta est ex Genes, *cap.* 28. ubi de Jacob habetur sermo, qui scalam vidit dormiens super Lapidem, quos ille erexit in titulum.

76 Psalmus vero: *Nisi Dominus, etc.* est 126. in ordine Psalterii, et dirigitur ad Hebraeos, quando laborabant in aedificanda Domo Dei, et restauranda Civitate Jerusalem, ex Bellarm. *in Ps.* 126.

§. X. Quod dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primum lapidem in fundamento, dicens: *In fide etc.*

77 78 Recitato Psalmo, surgit Sacerdos, et stat rectus, auctoritatem demonstrans. Per illud verbum *tangit*, videtur hic significari velle, quod cum Lapis non levis esse soleat, sufficit, ut manu Sacerdotis tantummodo tangatur, sed elevetur a Caementario, et tactum continuando, iter quoque Lapidis prosequatur, manutenuendo, seu tangendo Lapidem, donec in situ definito collocetur.

79 Meminerint assistentes, et praeparantes, quae necessario adhibenda sunt in hac functione, ut Catinus cum Aqua pura paratus sit, una cum linteolo, ut lotis manibus Sacerdotis (qui tangendo, et tractando Lapidem de facili coinquinari possunt) illas tergat, et mundet.

§. XI. Interim Caementarius locat ipsum Lapidem cum caemento: postea Sacerdos spargit super lapidem Aquam Benedictam, dicens: *Asperges, etc.*

80 Officium Caementarii est, ut diximus §. 9. locare Lapi-
COM. T. II.—P. 44.